



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

39. Pater mi, si poßibile est, transeat à me calix iste.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

Caluini technis, præstigijs, & malis artibus, tam innumeri Christiani in Gallia, Anglia, Scotia, Germania, traditis à Domino subsidijs sponte careant, vel priuari se sustineant. Vnius Caluini & doctrinam pestilentem abominari, & libros venenatos exurere, & memoriam sempiterna obliuione sepelire, aut certe diris deuouere meritò debent, qui vera & reali Christi carnis præsentia, alimonia, fructu (imaginaria è cælo participatione conficta) toto etiam religionis cultu, tot animas Christianas spoliavit, & diuinissima corporis & sanguinis Christi mysteria ad nudam ac symbolicam obliuationem à seipso confictam, maiori, quàm dici potest, impietate traduxit.

39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.*

Duo nefanda & impia dogmata tam contra Christi honorem quàm contra Euangelicam veritatem euomuit hoc loco Caluinus, & studiosè tuetur: vnū de maledictionis diuinæ horrore pœnisque infernalibus à Christo hoc loco toleratis, alteram de voto Christi inconsiderato & abrupto. Prius nefarium dogma cum tetra blasphemia coniunctum ad eadem Christi verba apud Lucam compendio examinabitur. Nam late & accuratè illud refutatum dedimus in parte quadragesimali Promptuarij nostri Catholici recenter edita. De posteriori hic aliqua dicemus. Ego (inquit hoc loco Caluinus) abruptum hoc fuisse votum fateor, tamen si precatio fuerit, non querimonia. Moxque docens fidelium preces non semper æquabile temperamentum seruare, sed implicitas & perplexas secum aliquando configere, de Christo quoque affirmat, sic hoc loco metu perculsum, & anxietate constrictum fuisse, vt necesse illi foret
inter

In feria 4.
Hebdom.
sanctæ.

inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillare. Addit deum, quod votum suum subito elapsum castigat ac revocat. Tandem concludens dicit. Non fuit igitur hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Et paulo post In primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi, quia mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat. Ponit ergo in Christo, desideria inconsiderata, vota abrupta, eademque alternantia ac vacillantia, subito erumpentia, quæ corrigi debeant. Denique orationes non meditatae, sed impetu doloris extortas, ac placide postremo moderationis vacuas. Sed hæc omnia Christi puritate indignissima, & quæ in solos peccatores peccato originali corruptos ac depravatos cadunt, ex veræ theologiæ ignorantia, & animi contumacia Calvinus negat, nolens videlicet in Christo agnoscere humanorum istorum affectuum, gaudij, timoris, &c. liberam susceptionem, quam disertè Patres docent. Quum enim liberè mortis horrorem ante oculos suos proponeret, liberè quoque & meditatè dixit: *Pater mi, si possibile est, trāseat à me calix iste.* Nullum hîc votum inconsideratum, nullum abruptum, nullum subito elapsum fuit: vota Christi & oratio meditata erant, cum placida moderatione coniuncta. Sed hæc vota erant naturalia, ex libera illa susceptione affectus naturalis, id quod naturale erat, spectantia. Voluntas quippe humana in Christo quum vna esset potentia seu facultas sicut in nobis, ratione tamen diversorum obiectorum duplex erat, modò naturalis, modò deliberata. Naturalis voluntas dicitur quæ fertur in rem aliquam secundum seipsam consideratam: Deliberata verò quæ fertur in rem non solam, sed cum

Christi
puritas &
fortitudo
defen-
ditur.

cū circumstātijs suis per intellectū propositā. Et
 vt in præsentī materia maneamus, mors ipsa &
 passio cōsiderari dupliciter potest. Vno modo in
 seipsa simpliciter cōsiderata, & sic habet rationē
 mali: est enim quoddā pœnæ malū, nec secūdum
 se appetibile est. Vnde de ipsa morte alijsq; rebus
 aduersis aptē dicit S. Aug. *Iubes nos, Domine, ea tolera-*
re, non iubes amare. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare
amat. In hac consideratione voluntas humana
 auerſatur mortem, & renuit eam. Alio modo con-
 siderari potest mors appositā circumstantia, nem-
 pe hanc mortem secūdum diuinam voluntatem,
 eāque vel mūdi esse redemptionem vt in Chri-
 sto, vel ad Christi gloriam fideique professio-
 nem vt in martyribus, vel vt materiam meriti ac
 ianuam melioris vitæ in iusto quolibet patien-
 ter eam sustinente: & hac ratione habet rationem
 boni, & voluntas ordinata eam acceptat. Illa di-
 citur voluntas naturalis, quia rem in sua natura
 considerat: hæc deliberata, quia per discursum
 considerat circumstantias adiectas. Christus igitur
 vt in affectu suo non tantum sensitiuo, (de fa-
 cto tolerando pœnas) sed etiam rationali (eas
 præmeditando) pro nobis pateretur, & vt timo-
 rem ac tristitiam propter nos in se ipso excitaret,
 vtebatur hac voluntate naturali; id est, liberè &
 præmeditatè proponebat animo res eas quæ timo-
 ris & tristitiæ causæ atque obiecta erant: &
 hac ratione *contristabatur, turbata est anima eius, voces*
naturales emisit, Si possibile est, transeat à me calix iste.
 Vt autem Patri se per omnia conformaret, vte-
 batur voluntate deliberata. Verba igitur huius
 Euangelij, sunt hominis positi in hac agonia, qua
 se ipsum turbare Christus voluit. Verbum qui-
 dem illud, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis,* verbum

Confess.
lib. 10.
cap. 28.

Voluntas
naturalis
& delibe-
rata.

Euangelij
verba ex-
plicantur.

Cc est

est hominis positi inter duas voluntates quæ in contraria tendunt (naturali enim voluntate mortem auersabatur, deliberata eandem acceptabat) sed non inter violentos tentationum fluctus positi, ut ait Calvinus, & alternis votis vacillantis. Nullam tentationem à seipso passus est Christus ut vacillaret ac dubitaret circa mortem & passionem suam, subire necam deberet an non. Sed adhuc inter duas illas voluntates hærebat hinc inde agitatus. Vox autem illa Christi, *Transseat à me calix iste*, vox est ex naturali voluntate procedens, non (ut absurdè & impiè Calvinus dicit) qua *Mediatoris officio defungi, quantum in se erat, renueret ac detrectaret*. Mediatoris quippe officium mortem dicit cum suis circumstantijs consideratam, mortem videlicet quæ esset redemptio mundi. Hanc autem ita consideratam quia bonum erat, Christus, quantum in se erat, renuere non potuit. Sed est vox qua mortem & passionem acerbam in seipso consideratam auersabatur. Voluntas autem Christi deliberata illa erat quam subiunxit hoc loco: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*. Vtrumque votum meditatam erat, & liberè susceptum: prius illud, ut in parte rationali pateretur, seque ipsum ipsa mortis præmeditatione turbaret: posterius, ut diuinæ voluntati humanam suam per omnia cõformaret. Hæc nesciens distinguere Calvinus ea de Christo pronunciat, quæ in solis peccatoribus reperiuntur, & Christi puritate sunt indigna.

Vidit Calvinus hanc suam doctrinam non solum veterum Patrum & omnium theologorum, sed & suæ ipsius doctrinæ alijs in locis traditæ penitus aduersari. *Quum nuper* (inquit) *dictum fuerit rectè compositos fuisse omnes Christi affectus* (sic enim ad Matth. cap. 6. dixerat, *Christus communem nobiscum*

In Harmon. ad
Matth.
cap. 26. 39

has

habuit sensum, non autem appetitus incompósitos, & in hoc ipso Matth. 26. cap. ver. 37. Christum ait mansisse compositum ad veram temperantiae regulam) quomodo nunc seipsum corrigit? Sic enim affectum suum subigit in obsequium Dei quasi modum excesserit. Certè in primo voto non appareret placida illa moderatio quam dixi: quia Redemptoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat. Hæc sibi Calvinus obiicit, & obiectionem tanto fortius premit, quanto clarius & sceleratius affirmat Christi prius votum, *Transseat à me calix iste, placida moderatione caruisse, idque adeò, ut Redemptoris officio defungi, quantum in se est, renuerit ac detrectarit: qua grauior accusatio vix à Pagano aut Iudæo aliquo Christo intentari potuerit. Quomodo enim tot illa Christi verba vera esse possunt, Cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, Ego non veni ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, denique, Ego quæ coram illo placita sunt facio semper, si vel ad punctum temporis Redemptoris officio defungi, quantum in se erat, renuerit & detrectauerit: Ad hanc ergo tam grauem obiectionem, quæ certè Calvinus expositionem necessariò consequitur, quid tandem respondet Calvinus? Respondeo (inquit) in eo nihil fuisse vitij, quòd obiecto mortis terrore, simul oblata est caligo, ut alijs omnibus omisis ad vatum illud profunderet. At hæc responsio à maximo vitio Christum non excusat. Vix enim in villo grauius peccare potuit, quàm ex quocunque terrore aut ex quacunque obliuionis caligine, finem ipsum & scopum vniuersum aduentus sui in hunc mundum, qui erat Redemptoris officio defungi, aliquando renuere & detrectare. Sed duo hic affingit Christo Calvinus, Christi puritate indignissi-*

Atrox in
Christum
Redem-
ptorem
calumnias.

Ioan. 4.
5. 7. 10.

ma, ideoque falsissima. Affingit illi *obiectum mortis terrorem*. Falsum hoc est. Non illi fuit quasi ex improviso obiectus mortis terror, sed huc mortis terrorem Christus in seipsum liberè & voluntariè suscepit propter causas infra apud Lucam dicendas. De quo etiam apud Ioannem iterum nobis dicendum erit,

Luc. 22. cepit propter causas infra apud Lucam dicendas. De quo etiam apud Ioannem iterum nobis dicendum erit,

Ioan. 11. ad illa verba, *Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum.*

Affingit iterum simul oblatam caliginem seu obliuionem ex eodem repetito obiecto terrore inuectam; nam & antea dixit, *vehementia doloris presentem celestis decreti memoriam illi abstulit, ut non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis Redemptorem*: At hoc falsum necessario esse debet, quum obiectus ille terror nulla veritate nitatur. Deinde quomodo hinc Calvinus ab obiecto mortis terrore & consequenti obliuione salutis nostrae, Christi votum (ut ille ait) *abruptum & inconsideratum* excusat, quando in his Christi verbis non de morte temporali, sed de metu & horrore maledictionis diuinæ Christum cogitasse & loquutum fuisse acerrimè contendat, ut super Lucam ostendimus?

Calvinus
obliuionem
Christo
affingens
vertigine
percutitur,
ut pugnancia
loquatur.

Quis non videt nullo modo sibi constare Calvinum; sed dum Christi Saluatoris nostri verba quibus ipsum Deum Patrem compellat & precatur, *votum abruptum & inconsideratum, & placida moderatione vacuum* probare vult, iusto Dei iudicio vertigine & stupore percussum esse, ut sibi pugnancia loquatur? Hinc enim de obiecto mortis terrore loquitur quo Christus percussus penitusque oblitus interim officij & aduentus sui, mortem ipsam deprecatur. Postea non mortem, sed ea quae quavis morte horribiliora sunt, Christum in his verbis timuisse & deprecatum fuisse blasphematur. Ita de re eadem pugnancia loquitur, sui ipsius parum compos.

Ad-

Addit tamen adhuc Calvinus, ut absurdissimam suam sententiã magis probabilem reddat.

Neque hinc (inquit) subtiliter disputare necesse est an illi obrepere potuerit salutis nostrae obliuio: quia hoc unum sufficere nobis debet, quum in mortis deprecationem erumperet, de alijs non cogitasse quæ viam clausissent. Atqui hæc adhuc nulla euasio est. Nam si de alijs non cogitauit quæ huic mortis deprecationi viam clausissent, eumque ab hac *inconsiderata* (ut Calvinus vult) oratione reuocassent, profecto illa alia oblitus erat. Quid enim est aliud obliuisci, quam non meminisse, & ea non cogitasse quæ cogitari debuerant? At inter illa alia præcipuum erat, cogitare se Redemptoris officio defungi debere, & opus redemptionis nostræ sua morte peragere. De hoc non cogitauit (ait Calvinus) quum in mortis deprecationem erupit: ergo salutis nostræ obrepit illi obliuio. Atque ita hoc unum quod sufficere nobis debere Calvinus vult, ad Caluini blasphemiam refutandam sufficere potest.

Prosequitur adhuc Calvinus, quia vel apud quemlibet lectorem obiectioni propositæ satisfactum non esse facile aduertit. *Si quis excipiat primum motum (quem frenari, antequam longius excurreret, oportuit non fuisse temperatum ut decebat: Respondeo (inquit) non posse in hac naturæ nostræ corruptione perspicere affectuum feruorem cum temperie qualis in Christo fuit: sed hunc dandum esse honorem filio Dei, ne eum assememus in nobis.* Atqui hæc responsio nulla est. More suo postquam pugnantiã dixit, quæ simul esse vera impossibile est, ait rem à nobis intelligi non posse. Quod autem intelligi non potest, nisi de fide credendum proponatur, affirmari non debet. Calvinus verò suas contradictiones, quum intelligi nequeant, recipi tamẽ & credi vult. Sic in alijs dog-

Blasphemia Caluini quoddam salutis nostræ oblitus Christus fuit.

Caluini impudentia circa contradictiones quas facit.

matibus, maximè quum Deum authorem peccati statuit, lectores ludificat. Affectuū feruor cum temperie à nobis perspicere non potest, ait Calvinus. Ita sanè, calidum cum frigido, album cum nigro, motus cum quiete, simul & semel in eodè cōsistere à nobis intelligi non possunt, ideòque à nemine sanè mentis afirmantur. Ipsa ergo Calvinire solutio suam absurditatē prodit. Quid enim absurdius quàm pugnantia docere, moxque ipsam repugnantiam, quia intelligi nequeat, credendam obtrudere? Hic est Calvinus ludus. Sic quod ex suo cerebro commentus est, ut sibi fallacem ex verbo Dei prætextum concilieret, corrumpit ac lacerat scripturam, ac indignis eam ludibrijs exponere non dubitat. Hi sunt audaciæ hæreticæ fructus, postquam semel extra Ecclesiasticæ doctrinæ metas vagari sibi permittit. Tenendum interea est, Christum Redemptorem nostrum, nec

1. aliquod inconsideratū votum emisisse, (sic enim
2. sapiens non fuisset), nec correctione dignum aliquid
3. dixisse, (sic enim peccasset) nec preces non meditatae Deo obrulisse, (sic enim temerari⁹ foret),
4. nec vocē vi doloris extortam protulisse, (sic enim appetitui suo dominari nequiuisset) nec postremo placida unquā moderatione caruisse, (sic enim passionibus vitiosis, quæ rationem præueniunt, subditus fuisset.) ac propterea Calvinum, qui illa omnia de Christo Redemptore nostro pronuntiavit, hominem impium, nec fide sed furca dignum, omnium piorum iudicio pronuntiandum esse.

75. *Et egressus foras, fleuit amare.*

HANC Petri poenitentiam insignem & veracem extenuat & suggillat Calvinus, ne ad veniam peccati obtinendam aliquid con-

Calvini
ludus cir-
ca diuinas
Scriptu-
ras.